

Actum et datum anno domini MCCCXVII in vigilia beatorum apostolorum Symonis et Iude.

*Original im Staatsarchiv zu Magdeburg s. r. Kloster-Bergische Stiftung 49.  
Abschrift im Privilegienbuche S. 172—174 mit der Ueberschrift: Haldingestorp I  
chorus tritici. cap. H XIII.*

1321, Januar 13.

181.

*Bodo, Abt zu Berge, bekundet, dass Arnold und Johann von Hakeborn in Stemmern und Bahrendorf dem Kloster je eine halbe Hufe Zinsacker in den genannten Dörfern verkauft haben, welche ihnen das Kloster gegen 1 Wispel Weizen, jährlich zu liefern, in Erbpacht wieder überlässt.*

Nos Bodo dei gracia abbas monasterii sancti Iohannis baptiste prope Magdeburg universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, ad quorum noticiam presens scriptum pervenerit, notum esse cupimus et litteris presentibus lucide protestamus, quod Arnoldus ac Iohannes fratres dicti Hakeborne, cives ville Stemmere et Bardendorp, quilibet istorum vendidit nobis et ecclesie nostre de bonis suis censualibus dimidium mansum, quos dimidiis mansos a nobis nomine nostre ecclesie hactenus tenuerant iure vel titulo censuali, sitos in campis dicte ville Stemmere et Bardendorp, et in manus nostras utriusque dimidiis mansos predictos libere resignarunt, ista condicione vel pacto interposito, quod cuilibet eorum contulimus dimidium mansum sub annua pensione, que vulgo vocatur ervpacht, de quibus dimidiis mansis ipsis ac eorum heredes solvent singulis annis in festo beati Martini obedientiario nostri monasterii, quicumque pro tempore fuerit, unum chorus tritici quilibet predictorum. Quorum unus ad anniversarium Iohannis sacerdotis dicti Welsleve nostri confratris deputatus fratribus nostris inde servicium dabitur in communi, qui anniversarius in vigiliis et missa animarum, campanarum pulsatione et candelarum accensione singulis annis sollempniter peragetur. Alius vero chorus Hinrico nostro fidei famulo dicto de Quedelingburch dabitur tempore sue vite. Eo autem defuncto anniversarius ipsius de dimidio choro et patris sui Hinrici de quadrante post diem beati Mathie et matris sue Elene de quadrante sequenti die assumptionis cum compulsatione vigilia peragetur. Proprietatem insuper cuiuslibet dimidiis mansi de voluntate et consensu totius nostri capituli nostro conventui plane presentis scripti testimonio tradimus et donamus. Predicti vero Arnoldus et Iohannes fratres ac eorum heredes censem, quem ab antiquo de dictis dimidiis mansis dare hactenus consueverant, deinceps de bonis feodalibus, que a nobis nomine nostre ecclesie tenent, nobis ac nostris successoribus in festo beati Mauricii solvere integraliter tenebuntur. Ut autem hec ordinatio vel emptio rite et rationabiliter facta perpetuis in futurum temporibus